F. Augustinus.

Vituperium Aſini.

XXVIII.

Materiam arguendæ inconſtantiæ meæ præbere uobis (Auditores humaniſsimi) uideri poſsem, et non ſecus ac quidam non ſanæ mentis homines agere, qui quæ ſummo ſtudio et labo=re perfecerunt, deniq perfectum destruunt, et in nihilum re=digunt, quippe qui ſummo nuper ſtudio et labore Aſini laudes deprædicaui, ſententiam meam nunc reuocare, et aſinum uituperare aggredior. Scitis Iſraelitas olim in utrumq paratos fuiſse ſemper, at non minus ad Oratores hanc ſpectare ſententiam existimo, nam ut probè noſtis omnes tam ad laudem, quàm ad uituperium cuiuscunq demum materiæ, uel rei paratum eſse debere Oratorem, et tum imprimis cum utrumq materia pati poſse uidetur. Laudaui nuper, et in Aſino nihil non laude ſumma dignum reperi=ri poſse ſatis ſufficienterq (ut reor) probaui, at modo contrarium, et nihil non uituperio ſummo, et cachinnis digniſsimum probare agredior, quæſo ergo uos Auditores benigniſsimos, ut ſicut nuper laudanti, ſic modò uitupe=ranti (utar enim benignitate ueſtra) aures et animos benignos et attentos præbere dignemini, à capite n. ad calcem usq, et eo quo nuper procedere modo mens est, antequam autem de eo ſermonem faciamus qui appellandus